

Claves in-
sula.
Annos.

pellant, refertur. Coronatores quos vocant *An-
nos*, qui Vice-Comitum officio funguntur, habet.
Ita Iudex Ecclesiasticus citat, definit, infra octo
dies parent, aut carceri intruduntur. Vt lin-
guam propriam, ita & leges, & nummum etiam
habuisse accepi, quæ peculiaris domini signa
sunt. Ecclesiasticæ ab hoc canonico ad civile
plurimum accedunt. Iudici & Formulariis nun-
quam hic ne denarius à populo impenditur.
Quod de Maleficiis referunt scriptores Anglici,
falsum est. Qui ditiores sunt, & ampliora præ-
dia possident, victu splendidiore, & morum pro-
bitate ad Lancastrenses sese accommodant. Mu-
lieres quocunque se ex ædibus conferunt mor-
talis conditionis memores, linteo quo mortuæ
involvendæ sunt, se circumcingunt. Quæ verò
mortis sententiam ex lege subierunt, culeo insu-
tæ in mare è rupe projiciuntur. Omnes à furan-
di & mendicandi ostiatim consuetudine sunt a-
lienissimi, mire religiosi, & ad Ecclesiæ Anglica-
næ formam ad unum usque paratissimi accedunt.
Gentium vicinarum tam civilem quam Ecclesia-
sticam Ataxiam detestantur, & cum in duas Au-
stralem & Borealem partes insula sit divisa, hæc
sermone communi ad Scotos, illa ad Hibernos
accedit.

Operæ pretium videtur, si hujus insulæ histo-
riolam, quam veritas suo jure quasi postulat,
hic intexam; ut res gestas, si non sepultas, ta-
men fenescientes ab oblivione hominum, & si-
lentio vindicem. Britannos verò hanc insulam
uti Britanniam tenuisse in confesso est, sed cum
à Septentrione gentes tanquam insuli nimbi,
has Australes plagas inundarint, in Scotorum
potestatem devenit. Sub Honorio enim, & Ar-
cadio Augg. à Scotorum gentibus (ut est apud
Orosium) æque ac Hibernia ipsa culta fuit, &
* *Builc* Scotum quendam hanc tenuisse scripsit
Ninnius. Sed Scotos, ut idem prodit, ex om-
nibus regionibus Britannicis & insulis expulit
Cunedæ avus Maglocuni, qui quod in his insu-
lis grassaretur, *Insularis Draco* Gildæ appellatur.
Posteà Edwinus Nordanhumborum Rex, hanc
insulam (ut prædictam Monam) Anglorum
imperio subjugavit, si utramque *Menaviarum*
nomine (ut volunt scriptores) intelligamus,
quo tempore Britannorum insula habitata fuit.
Verum cum secundo suos fœtus emisisset Aqu-
ilo, Normannos, Danos, & Norwegos dico,
Norwegi, quorum latrocinii frequentioribus
mare Septentrionale infestissimum fuit, in hanc
insulam & Hebridæ involaverunt & Regulos
constituerunt, quorum historiolum ex antiquo
manuscripto libro ne omnino intercidat, ad
verbum subjungam. *Chronicon* vero *Mannicæ* in-
scribitur, & à Monachis monasterii de *Rusin*,
quod præcipuum in hac insula erat, conscriptum
videtur.

CHRONICON REGVM MANNIÆ.

Anno Domini MLXV obiit pia memoria Edwar-
dus Rex Angliæ, cui successit in regnum Haral-
dus filius Godwini, contra quem Haraldus Har-

fager Rex Norwegia prælium commisit apud Stainford-
bridge, & Angli victores existentes, omnes fugarunt,
de qua fuga quidem Godredus, cognomento Crouan, fi-
lius Haraldi Nigri de Islandia fugiens, venit ad Godre-
dum filium Syrric, qui tunc regnabat in Mannia, & hono-
rifice susceptus est ab eo.

Eodem anno Guilielmus Bastardus debellavit An-
gliam, & Godredus filius Syrric, Rex Manniæ obiit, cui
successit filius Fingal.

MLXVI Godredus Crouan collegit multitudinem
navium, & venit ad Manniam, prælium cum populo ter-
ræ commisit, sed superatus & fugatus erat. Iterum exerci-
tum, & naves coadunavit, venit ad Manniam, pugna-
vit cum Mannensibus, victus & fugatus est. Tertio con-
gregavit multitudinem copiosam, & venit noctu ad por-
tum qui vocatus est Ramfa, & trecentos viros occul-
tavit in sylva, quæ erat in devexo montis supercilio,
qui vocatur Scacafel. Orto lucis sydere, Mannen-
ses construxerunt aciem suam, & magno impetu fa-
cto, congressi sunt cum Godredo. Cumque pugna vehe-
mens esset, trecenti viri surgentes de insidiarum loco à ter-
go, Mannenses debilitare cœperunt, & in fugam compu-
lere. Cum autem vidissent se superatos, nec aliquem
diffugii sibi locum patere, nam rheuma maris Ramfa
annis abveum impleverat, & hostes ex altera parte con-
stanter persequentes, qui tunc remanserant, clamore mi-
serabili, postulabant à Godredo vitam sibi donari. Ille
autem flexus misericordia, & miserans calamitatem eor-
um, qui apud ipsos per aliquod tempus nutritus fuerat,
revocavit exercitum, & prohibuit ne eos diutius perseque-
rentur. Godredus sequente die optionem exercitui suo de-
dit, ut si mallet Manniam inter se dividere, & in ea ha-
bitare, vel tantum substantiam terræ accipere, & ad pro-
pria remeare. Illis autem magis placuit totam insulam
vastare, & de bonis illius ditari, & sic ad propria reverti.
Godredus autem cum paucis qui secum remanserunt de in-
sulanis, Australem partem insulæ, & reliquiis Mannen-
sium Aquilonarem tali pacto concessit, ut nemo eorum ali-
quando auderet jure hereditario sibi aliquam partem ter-
ræ usurpare. Vnde accidit ut usque in hodiernum diem
tota insula solius Regis sit, & omnis redditus ejus ad ipsum
pertineat. Igitur Godredus subjugavit sibi Dubliniam,
& magnam partem de Laynestir. Scotos vero ita per-
domuit, ut nullus qui fabricaret navem vel scapham, au-
sus esset plusquam tres clavos inserere. Regnavit autem
sexdecim annis, & mortuus est in insula quæ vocatur Yle.
Reliquit sane tres filios, Lagmannum, Haraldum, & Ola-
vum. Lagmannus major natu, regnum arripens septem
annos regnavit. Rebelleavit autem contra eum Haraldus
frater ejus multo tempore. Sed tandem captus à Lagman-
no, genitalibus, & oculis privatus est. Post hæc, Lagman-
nus pœnitens quod fratris sui oculos eruisset, sponte regnum
suum dimisit, & signo Crucis Dominicæ insignitus, iter Ie-
rosolymitanum arripuit, in quo & mortuus est.

MLXXXIX. Omnes proceres insularum audientes mor-
tem Lagmanni, miserunt legatos ad Murecardum O-Brien
Regem Hiberniæ, postulantes ut aliquem virum indu-
strium de regali stirpe in regem eis mitteret, donec Olavus
filius Godredi cresceret. Annuit eis Rex libentissimè, &
quendam Dognaldum filium Tade ad eos misit, monens &
præcipiens ei, ut cum omni benignitate & modestia regnum
quod sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille postquam ad
regnum pervenit, parvipendens præcepta sui Domini, cum
magna tyrannide abusus est regno, & multis sceleribus per-
petratis, IIII ann. enormiter regnavit. Tunc omnes princi-
pes insularum una conspiratione commoti, adversus eum